

**www.e-rara.ch**

**Nicolai Leoniceni Vicentini, Philosophi & Medici clarissimi, opuscula**

**Leoniceno, Niccolò**

**Basileae, 1532**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-3939>

[Nicol. Leoniceni Vicent. de Plinii et medicorum erroribus lib. IIII.]

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

**C** uiuentibus futurisq; salutare quoddam communeq; remediū excogitabis. Nosti enim probe quot errata, quantiq; momenti in hac medica arte quotidie perpetrentur. Sed de his aliās. Ego si quid hic tuæ excellentiæ causa agere possum, meā operam, domū, meq; ipsum totum tibi offero, neue etiam sine magna mea utilitate a te responsum expectem, rogo ut mihi declarare per literas digneris, sub quo capite apud Dioscoridem græce contineatur id, quod nos cassiam fistulam appellamus, quomodoq; ab eo uoceſ. Item a tua excellentiā intelligere optarē, ubi idem Dioscorides agat de manna, & quid sit apud ipsum *μαίνα βαύα*, Item quid ixiās. Me enim non pudet, nec unquam puduit, & si pauca sciam, quæ ignoro, ab aliquo docto uiro, qualem te dudum noui, aliquando discere. Nec me auaritiæ accuses uelim, quia tecum inire amicitiam, uel potius confirmare, cum non parua mea utilitate decreui: Talem enim te esse apud me prædicaui Franciscus Tottus meus, imò tuus, ut libenter quemuis, uel ignotum erudias. Turpe insuper putabam ab uberimo fonte limpidissimæ aquæ me sitientem discedere, quū præsertim a tua dipsando. Quinto Calendas Decembres, M. D. III

## NICOLAUS LEONICENVS HIERO

NYMO MENOCHIO LVCENSI PHILOSOPHO  
AC MEDICO PRAESTANTISSIMO S. D.



**D** VAM mihi nuper reddidit Franciscus Tottus Lucensis communis amicus epistolam disertissimam, planè mihi indicauit te non esse ex numero illorū, qui barbaram philosophiā ac medicinam profitentur: Alioquin nō tam eleganter scriberes, neq; tantopere nostras translationes, aut nostra scripta, quibus præcipue barbaros autores uellicamus, cōprobrares. Equidē hac tua epistola lecta, cœpi de seculo nostro bene sperare, quū uideam me tales habere uiros, idem mecū de tota philosophiā, & medicinæ arte sentientes: qualis tu unus es, & alter Constantius noster Pistoriensis, uel quidam alijs, exigui sanè numero, sed bello uiuida uirtus. Quibus si non potero, id quod tu maxime optas, & ut facere prosequar exhortaris, ob ætatem iam ingrauescentē adimplere, iuuabit saltem lucernā prætulisse, atq; iter aperuisse, quo possit tetra ista barbaries, quæ pridem omnes bonas artes occupauit explodi, seu funditus profligari. Quare tuum ac cæterorum quos recta studia delectant, erit officiū, ut quod ego unus nō possum efficere, mecum simul facere studeatis, & quam sibi laudem quidam literatores dudum usurparūt uindicatæ Italiæ a barbaris, multo iustius nobis asciscamus, qui non sermonem latium recuperamus, sed omnes planè homines a mortis periculo eripimus, dum expulsis seculi nostri tenebris, ueterē medicinam in lucem reuocamus: Hoc sanè mihi uidetur uere philosophari, nō de uocabulis, sed de rebus ad hominū salutem plurimū necessarijs, cum barbaris decertare. Loquantur ipsi ut uelint, & uiperam tirum, uel quouis alio uocabulo nūcupent, modo quis serpens sit tirus, qui ad theriaces cōpositionem recipi debet, nō ignorent.

*Auicenna atq; Albertus ignorarunt quæ serpens esse tirus: Thufcia medicamentorum & uenenorum feracissima.*

**H**Ac sanè inscitia & Albertum cognomēto Magnum, & Auicennam quoq; Huiusmodi principatū tribuit hæc ætas, in dipſade nostra laborasse demonstrauimus. Quæ si tibi tantā sitim induxit (ut scribis) iure tuo poteras, ut ab ea serpente



**A**pente morfi, uno oris hiatu nostri fontis aquas exhaurire. Cur enim tam pauca in tuæ epistolæ calce petijsti? Cur etiam tuas quæstiones partitus es, nonnullas epistolæ, nonnullas chirographo cōmittendo? an quia uerebaris ne nimium auare amicitia nostræ primordijs, uel cōfirmatione potius abutereris? An quia id quod est superficabaris, non fontem apud nos, sed riuulum tantum scaturire, quem facile possit immodicus potus exiccare? Conabor tamē pro tempore in his quæ ex me scire concupiscis, tuo honestissimo desiderio satisfacere: forte illud aliquando uberius impleturus, si tibi cōtigerit mecum uagari in tuæ patriæ montibus, quos ad hunc ipsum finem uisere institui, ut possim herbas in ipsis nascentes tam salutare, quæ etiam noxias cōtemplari: Neque enim me latet Tusciam esse & medicaminum ac uenenorum quoque feracissimam, hoc idem Theophrasto, libri de historia plantarum nono uolumine, & Aeschylī autoritate cōfirmante; hoc dudum fuisse mei animi institutum testem facio Franciscum Tottum, cui ob morum integritatem, & doctrinæ præstantiam, soleo omnes meos cogitatus aperire: ob idem meæ mentis propositum, neque illa quæ tu mihi tua humanissima epistola offers, omnino respuo. Forte illis, si ita necessitas tulerit, usus ad id opus, quod etiam tibi spero placiturum, qui non es in ea hæresi (ut arbitror) in qua omnes ferè medici iuniores uersantur, hanc herbarum & aliorum simplicium medicamentorum indagationem, non ad medicos, sed ad seplasiarios seu pharmacopolas pertinere, opinantes. Quod si sensisset Hippocrates ille primus medicinæ parens, & qui illi succedere medici ueteres, non iuuisset eos ire per solitudines, & quærere herbas alijs diebus anni: sed (ut ætate nostra fit) sedissent in scholis, potius de rebus nullius ad uitam momenti differentes, & fata hominum non sua, sed aliena fiducia gubernantes.

*Tuscia ferax  
omnis generis  
herbarum.*

*Galenus male ab Auicenna allegatur in fructu, quem Arabes carnubium, Græci ceratia nominant, Latini siliquam dulcem: Per cassiam fistulam aliud intelligunt Græci, aliud Arabes.*

II

**V**erum ne imitari uideamur illam quam præcipue damnamus garrulitatē, iam ad illa ueniamus quæ à nobis in tuæ epistolæ calce quæstisti: Quorum primum est, sub quo capite contineatur cassia fistula apud Dioscoridem: & quod eiusdem quæstionis est, sub quo capite etiam manna, qua æque atque cassia fistula medici iuniores ad molliendam aluum utuntur. Quare ad utranque respondeo, autores græcos (de ueteribus loquor) de neutra facere specialem mentionē, uel quia ipsas non nouerunt, uel forte in usu medicinæ non probauerunt. Siquidem Galenus similem cassiæ fistulæ fructum, quod à Græcis ceratia, ab Arabibus corrupto, ut puto, uocabulo carnubium nominatur, omnino improbat, adeo ut libro secundo de alimētis optet, uel melius esse opinetur, quod nunquam ad suæ gentis homines ex locis in quibus nascitur, deferretur. Quorum occasione uerborum mihi subit admirari, quomodo Auicenna, qui se Galeni fatetur interpretem, illum tamen perperam alleget, dicentem quod hic fructus non deferretur ad alias regiones: Frustra enim Galenus optasset, ne deferret ad suos, si ad alias regiones ex solo in quo gignitur non deferretur. Dixi autem ceratia esse similem cassiæ fistulæ fructum: quoniam & color corticis idem, & medulla etiam dulcis, sicuti cassiæ fistulæ, & præterea similibus seminibus eadem medulla distinguitur, ut non solum sensus, sed etiam Serapionis probat autoritas, qui capite de cassia fistula inquit, quod intra cannas cassiæ sunt laminæ ex carne nigra, & parietes diuidentes inter eas, & inter laminam & laminam sunt grana, sicuti grana xilocaractæ, & eiusdem magnitudinis, quorum color est inter glaucedinem & ruborē. Per xilocaracta autem debemus intelligere fructum, quem Græci tum ceratia, tum etiam xilocaracta nominant, Latini



**c** siliquam dulcem: Arabes autem (ut antea diximus) carnubium. Sed & eadem est siliqua dulcis, quæ etiam cassiæ fistulæ proprietas: Nam utriusque medulla quæ recens est, laxat uentrem, quæ uero exiccata, potius contrahit: Quod de siliqua dulci Dioscorides, Galenus, & Paulus, ac Plinius quoque testatur apud nos. De cassiæ fistula autem constat medicorum experientia. Hic tamen medicos iuniores commonefacere oportet, etiam in libris Græcorum, sicuti Dioscoridis atque Galeni de cassiæ fistula legi, sed non de illa, de qua tu quæris, quæ uim habet aluū molliendi, atque ideo à quibusdam recentioribus siliqua pharmaceutica nominatur: sed de quadam specie cassiæ lignæ, quæ σνέρις, id est fistula, ab eisdem Græcis nominatur. Quapropter diligentius aduertendum, ne quum in libris Græcorum cassiæ fistulam scriptum inuenimus, alteram putemus intelligi, de qua Arabes autores loquuntur. Quo quidem in errore scio plerisque medicos recentiores frequenter implicari, qui cortice cassiæ fistulæ Arabicæ medicinæ ad citanda menstrua utuntur, quum cassiæ ligneam potius ad eundem usum debeant recipere, ex Dioscoridis & aliorum medicorum græcorum autoritate, qui alteram cassiæ fistulam uidentur neglexisse, sicuti & alios arborum fructus, quos autores Arabes, & medici iuniores illos sequentes, in frequenti usu habent, omnino despexerunt.

*Iuiuba ab Arabibus autoribus in usu medicine probantur, à Galeno damnantur: Fructus quem Græci mixam dicunt, Arabes sebesten uocant.*

III

**I** Viubas quidam Arabes autores, Serapio præsertim, ad multos usus medicinæ cōmendant: Vnde & medici iuniores aquam in qua decoctæ sunt iuiubæ, calida & tenui pituita laborantibus, ad potandum exhibent. Galenus tamen libro secundo de alimentis, capite de sericis, id est zinzifis uel iuiubis, ingenue fateatur se non habere aliquid de ipsis testificari ad sanitatis conseruationem, aut aegritudinum curationem: Sunt enim (ut inquit) cibi mulierum & puerorum effrenatorum, paucique alimenti, & indigestibiles: simul cum hoc, quod neque eustomachum est alimentum, palam quod & ipsum dant paucum corpori. Quid tritius est sermone medicorum, quam sebesten uel eclegma, siue (ut uocabulis usitatis apud iuniores medicos utamur) electuariū de sebesten: De hac tamen tam famosa apud Arabes ac iuniores medicos medicina, neque Dioscorides, neque Galenus quicquam commemorauerunt. Paulus uero utroque ætate posterior, hoc tantum de mixa dixit, quod est fructus arboris minor quidem prunis, uiribus autem similis. Mixam autem esse fructum, quem Arabes sebesten nominant, minime dubitamus, quod & sensus ipse Pauli uerbis idem cōfirmantibus probat: Est enim, ut ille inquit, mixa pruno quidem similis fructus, sed minor eo. Plinius quoque libro decimotertio de naturali historia, capite scilicet quinto de Syriæ arboribus, de prunis in Damasco monte natis, & mixis unā loquitur, & ait utrumque fructum iam esse familiarem Italiæ. Forte autem hoc studium nostrum facturum est scientiæ medicinæ utilitatem, si res illas, quas solent medici recentiores barbaris tantum nominibus enunciare, & non nisi à barbaris mendicare, iam latinis aut græcis uocabulis indicauero, & posse etiam in Italiā inueniri demonstrauero. Dudum enim tiris præcij auctoritatem ademitus, alios esse in Italiā serpentes, multo quam tiri Aegyptij ad theriaces compositionem utiliores ostendentes: factique iam sumus illis odiosi, qui non uera remedia, sed nomina magis uenditant. Verum hæc tibi, & tui similibus scribimus, qui ex arte medicinæ non adeo quæstum, quam salutem hominum quærunt, & in Italiā ægrotantibus malunt latine, quam Arabice medicari.

Simonis



A Simonis Genuensis de manna & zucharo opinio improbat: Dubitatio de zucharo Candi: Auicenna male in zucharo Candi à Montagnana allegatur.

IIII

**D**E manna, de qua etiam quæris quid sit apud Dioscoridē, si Simonis Genuensis probarem sententiā, qui in litera M. cap. de melle, ait antiquos Græcorū non habuisse zuchari notitiā, quo nos utimur in varijs cōpositionibus, dicerem quid ille loco allegato in suis uerbis insinuat, mannam apud Dioscoridem esse, sacharum ab eodem Dioscoride in capite de melle nominatum. Verū ego aliter sentio, sacharum apud ipsum, sicut etiam apud Galenum, esse id quod nos uulgò zucharum nominamus: & Græcos ueteres de sacharo siue zucharo quidem specia- liter quandam speciem mellis esse dixerunt: de manna autem generatim tantum- modo, non autem speciatim fuisse locutos: licet Mesues falso Galenū tribus in lo- cis alleget de manna loquentem, scilicet capite de manna, & capite de scamonea, & capite de confectione mannæ ex inuentione Galeni: Manna enim apud græ- cos autores nō est medicina molliens uentrem, sed potius adstringens, & frequen- tius manna thuris, quæ manna simpliciter nūcupatur: Nam (ut inquit Galenus li- bro decimotertio artis curatiuæ) ea quæ manna uocatur, est cōcussio thuris, quæ paruam quandā uim adstringendi participat, atq; ob id ad quædam melior est ipso thure. Hoc enim uim solam suppuradi habet, & quod minime stipticū existit, ma- ximeq; illud quod pinguius est, & colore albius: quemadmodū quod hoc flauius est, magis exiccat. Illi autem quæ manna uocatur, parum quoddam ex cortice thu- ris admixtum est, à quo uim stipticam habet. In eandem sententiam scribit Plinius libro duodecimo de naturali historia, capite decimoquarto de thuris natura & ge- neribus eius inscripto: Hæc enim sunt eius uerba: Micas concussu elisas mannam uocamus. Quamquā uitiō codicis nō mannam, sed mammam legatur: ut iam obi- ter sit tuæ tertię quæstioni satisfactum, quid sit manna thuris apud Dioscoridem. Suprà autē dixi autores græcos de manna, cassiæ fistulæ compari medicina, etsi nō speciatim, saltem generatim scribere: quoniā potest hæc manna uentrem soluens, ad caput de melle, apud eosdem græcos autores referri, sicuti etiam sacharū, quod species mellis, tum à Dioscoride, tum etiam à Galeno ponit. Hæc enim sunt Dio- scoridis de sacharo uerba: Vocatur autem quoddam etiam sacharū, species mellis existens, quod in India cōcrescit, & in Arabia felici inuenitur in calamis, simile se- cundum substantiam salī, & sub dentibus instar salis cōfringitur. Licet Simon Ge- nuensis, ut suprà notauimus, sacharū hoc de quo Dioscorides, non zucharum no- bis dictum, sed quandam mannæ speciem esse putauerit, ut hac una tantum ratio- ne Mesues possit excusari, Galenum allegans de mannā scribentem, si per man- nam sacharum intelligit, quod Dioscorides atq; Galenus speciem mellis arbitran- tur. Manna enim de qua Arabes autores specialius loquuntur, parum differre à zu- charo & melle patet autoritate tum Serapionis, tum etiam Auicennæ: quorū alter tereniabim, quæ est species mannæ, mel roris appellat: Alter uero suacharū hao- fcer mannæ speciem esse dicit. Neq; obstat, quod mel ferè ubiq; nascat, & sit apum opus, manna autem paucis in locis, & sit naturæ tantum munus: quoniā si hæc ratio ualeat ad probandū mannam non debere ad caput de melle reduci, etiam de sacharo probaret, quod tempore Dioscoridis, sicuti ex uerbis huius autoris suprà notatis apparet, in India tantum, & felici Arabia inueniebatur in calamis: & tamen inter species mellis non solum à Dioscoride, sed etiam à Galeno connumerat: qui duo autores eodem capite de utroq; scripserunt. Quamquam Auicenna uidetur sa- lem Indum, de quo Dioscorides, non solum à melle, sed etiā à zucharo distinxisse: siquidem quarto Canone, & zucharū taberzeth, & salem pariter Indum inter re-

Manna thuris.

Lib. 1. cap. 80

Lib. 2. cap. 73



**C** media nominat, quæ ad linguæ faciunt asperitatem: sed zucharū taberzeth, quum hæc asperitas ex uiscositate provenit: salem autē Indum, quū ex siccitate: Adeo ut appareat Auicennā salem Indum aliud esse à zucharo taberzeth existimare. Per salem tamen Indum & Auicennæ expositores, sicuti Gentilis & Herculanus, zucharum candi intelligūt. Verum hæc expositio uerbis Auicennæ repugnat, quarto Canonis, capite de asperitate linguæ febricitantiū, inquentis, salem qui asportatur ex India esse in colore salis, & dulcedine mellis. Intelligit autem Auicenna, sicuti & Paulus, à quo Auicenna hoc remedium iisdem ferè uerbis accepit, de sale albo, qui pro condimento cibis admiscetur: zucharum autem candi nominatū non est colore album omnino, sed potius subluteum. Illud præterea quæri ab Auicennæ & eius expositoribus possit, cur zucharū taberzeth ad asperitatem, quæ ex uiscositate provenit, habeat efficaciam: zucharum autem candi ad alteram quæ fit ex siccitate, quum zucharum taberzeth, eodem Auicenna autore, secundo Canone, uim habeat leniendi, quod de zucharo candi nulla constat autoritate aut ratione: nisi per zucharum candi rubrum intelligamus. Quoniam secundum Auicennam suimenum & rubrum uehementioris sunt lenificationis. Verum zucharum candi à zucharo rubro etiam apud medicos iuniores distinguitur. Forte autē hic error expositorum, salem Indum zucharū candi interpretantiū, non magni est ad uitam momenti, quando & zucharum candi res factitia sit, cuius materia est zucharū album. Illud potius est inuestigatione dignum, nunquid zucharum candi debeat febricitantibus ad sitim sedandam exhiberi, in ore retinendum, ut plerique medici nostro tempore faciunt, & Montagnana in quodam cōmento innuit faciendum, qui ait zucharū candi à uiris illustribus salem Constantinopolitanū nominari, & colligendum esse ait prima quarti, de cura sitis in febribus. Quod tamen nulla species zuchari competat ad sitim extinguendam, nisi forte zucharum haoſcer, quod est quædam species mannae, patet autoritate Auicennæ, qui secundo Canone scribit hæc uerba de zucharo haoſcer: Et non facit sitim sicuti reliquæ species zuchari, quoniam eius dulcedo est parua, & est bonum stomacho & hepati. Ex quibus uerbis duo colligere possumus, zucharū haoſcer, quod est manna, cadens super alusar, & est sicuti frusta salis, tum zucharū, tum etiam mannam nominari, & reliquas species zuchari facere sua nimia dulcedine sitim, excepta illa quæ zucharum haoſcer nuncupatur. Quare quum zucharum candi sit modus zuchari diuersus à zucharo haoſcer, non uidetur ullam ad sitim extinguendam habere efficaciam. Et si uerū fateri uelimus, male Auicenna à Montagnana allegatur prima quarti, capite de cura sitis in febribus: In eo enim capite nulla uerba sunt, ex quibus aliquid de zucharo candi possumus colligere, quod sit inter alia remedia ad sitis extinctionem pertinentia ab Auicenna nominatum.

*De ixia ueneno quid sit: Plinius non est citra erroris suspensionē, uenenū ixiam nominans: quoniam tale uenenū est aliud à uisco: Sed tamen per abusionē uocabuli à cōtradictione uindicatur.* V

**D**E ixia autem, de quo & in epistola quæris, quid sit apud Dioscoridē, & in chirographo, quid apud Auicennam & medicos iuniores, non facile est respondere, propter nominis non solum apud Græcos, sed etiam apud Arabes ambiguitatem: Nam & chamaeleon albus & niger, ixias à Græcis nūcupatur, & præterea quoddam ueneni genus, quod non modò ixias, sed etiam ulophonos cognominatur: Quanquā & hæc cognominatio etiā radici chamaeleontis nigri, quæ & ipsa uenenum est, ab eisdem Græcis tribuatur. De utraq; autem radice scilicet & chamaeleontis nigri, & ixia ueneno, agit Paulus in tractatione uenenorum. Dioscorides uero



A uero in eadem tractatione, de ixiā tantummodo, cuius etiam ueneni in libris suis de simplici medicina scriptis sapissime meminit. Nam capite de absinthio, inquit *Lib. 3. cap. 25* ipsum cum uino cōferre ad ixiā & cicutam. Item capite de castoreo, siue de testibus castoris, inquit eos bibi cum aceto cōtra pharmaca pernicioſa, sed peculiariter ixiā. De oxymelite etiam scribens, quomodo paretur, postmodū inter alias utilitates hanc quoq; subiūgit, quod iuuat illos qui meconium uel ixiā biberint. Item capite de tragorigano ait, quod omnes eius species contra ixiā potū cum uino utiles sunt: & pluribus alijs in locis, quos nolumus, nisi quantum ad propositum nostrum attinet, cōmemorare. De ixiā ueneno Dioscorides loquitur. Quare si quæris quid sit ixiā apud Dioscoridem libro sexto, capite uigesimoprimo, possum in præsentiarū respondere, esse proprii generis uenenum, radicem & ipsum, ut Paulus ubi de uenenis agit, testificatur, licet cuius plantæ sit radix non explicet, tamen à radice chamæleontis nigri diuersam, quemadmodū ex eodem Paulo cōstat, qui duo capita, alterum de radice chamæleontis nigri, alterū de ixiā, inter uenena facit, ut etiam paulò ante significauimus. Hoc idem ueneni genus animaduerto Plinius sapissime in suis de naturali historia libris uiscū, nescio an recte, nominasse, atq; eadem remedia contra uiscum scripsisse, quæ Dioscorides contra ixiā uenenum, de quibus paulò ante uerba fecimus. Nam libro uigesimo, capite decimosextimo, de tragorigano ita scribit: Tragoriganū simile est serpilli syluestri, urinam cit, tumores discutit, cōtra uiscum potum, uiperæq; ictum efficacissimū. Item libro uigesimotertio, capite secūdo: Oxymel, inquit, antiqui profuisse fatentur cōtra uiscum. Item libro uigesimoseptimo, cap. septimo, his uerbis utitur: Absinthij genera plura sunt, aduersant uisco cicutæ cum uino. Libro pariter trigessimotertio, cap. tertio ita scribit: Testes castorū medentur poti cōtra uenena, auxiliantur priuatim cōtra uiscū ex aceto. Sed & idem Plinius libro uigesimo, cap. decimotertio, ait rutam folijs tritis cum uino sumptis ualere cōtra aconitum, & maxime uiscum. Quo etiam remedio Dioscorides utitur in libro de uenenis, contra potū ixiæ ueneni. Itēdem Plinius libro uigesimoquarto, cap. sexto, laudat resinas tanq; uisco aduersantes. Dioscorides in eodem libro cōtra ixiā uenenu resinam abietinam præcipue cōmendat. Ex quibus omnibus, tum Plinij, tum etiā Dioscoridis uerbis inuicem collatis, luce clarius apparet Pliniū id ueneni genus, quod Græci ixiā uocant, uiscum (ut diximus) appellasse. Auicenna quoq; quarto Canone de uisco tanq; ueneno loquit, & eadē ferē signa scribit atq; remedia, quæ Dioscorides in ixiæ ueneni potione. Multi tamen medici iuniores hoc nō animaduertentes, putant tam Plinium q; etiam Auicennam de uisco loqui, quo aues decipiuntur. Ego autem non uideo quomodo aut Plinio aut Auicennæ cōueniat, uiscum aucupū inter uenena cōnumerare. Plinius siquidem libro decimosexto, cap. ultimo, de uarijs uisci generibus accuratissime scribit: tantūq; abest ut aliquod ipsorū dicat esse uenenu, quod uiscum in robore arbore natum, certa tamen religione decerptum, dicat secūdum Druidū opinionem, contra omnia uenena esse remedio. Superstitionū tamen eodem in loco Plinius improbat opinionem, nō refellit, quod multo magis fuerat faciendum, si uiscum esse uenenu existimasset. Neq; minus Auicenna secūdo Canone de uisco, tanq; salubri medicina plurima refert, nullam nobis dans quod sit uenenum mortiferum significationem. Quare fateri oportet, utrunq; autorē, aut sibi ipsis in uarijs locis repugnare, aut quum de uisco tanq; ueneno loquūtur, abuti uocabulo, quoniam ixiā pro ueneno sumptū non sit uiscū, licet sit nomen à uisco deductum: Sicut enim chamæleon albus & niger ideo ixiā nominatur, quia in quibusdam locis uiscū gignit sub alis foliorū, ut inquit Plinius libro uigesimosecūdo,



**C**apite decimo octauo: Vt autē Dioscorides, iuxta radicem, ita ixias uenenū, ut hoc nomine uocaret, habuit à casu, qui eius sequitur potionem. Nam sicuti uiscū quæcunq; illi adhæserint, retinet, ita ixias uenenum haustū contrahit omnes corporis superfluitates. Nos quidem ita Pliniū per abusionē uocabuli à cōtradictione uindictam camus. Viderint autem medici iuniores, quo pacto Auicennam tueant, quem uolunt quarto Canone de uisco aucupū, inter alia uenena fuisse locutum. Nam quidam ipsorū, qui satis prolixum tractatū de uenenis adiderunt, Auicennā allegant talis uisci intus assumpti remedia scribentis: Neq; sanē admodū foret admirandū, ita in hoc ixia Auicennā, sicuti in altero, scilicet in radice chamaeleontis nigri (hunc enim & ipsum ixiam à Græcis, licet dissimili ratione diximus nuncupari) nominis uicinitate fuisse deceptū. Sic enim quæ ixia ueneni sunt propria, ixo, id est uisco, tanquam ueneno, quarto Canone Auicenna tribuit.

*Error Auicennæ chamaeleam cum chamaeonte confundentis, quem errorem & Serapio, & omnes Arabes sunt secuti.*

VI

**N**on dissimili errore Auicenna quæ chamaeleonti albo aut nigro conueniunt, alteri frutici adscribit, quem Græci chamaeleam, Arabes mezereon appellant. Est autem chamaelea non solum figura, sed etiam uiribus multum à chamaeonte albo uel nigro diuersa: Et chamaelea quidē ideo hoc nomen sortita est apud Græcos, quia habet folia similia oliuæ. Chamaeleon autē albus & niger (ut inquit Dioscorides) silybo, uel scolymo assimilatur. Qui uero in Creta insula herbam adhuc à Græcis chamaeleontem uocatum uiderūt, testantur ipsam esse aculeatam, & ferre uiscū, ut de ipsa tum Dioscor. tum etiam Plinius prodiderūt: quo uisco etiam inquit Cretas pennas sagittis agglutinare. Aiunt præterea herba illi, quam nos carlinam nominamus, esse similitimā, quam quidā putant ideo carlinā à nostris nominari, quia fuerit Caroli regis inuentū. Ego potius carlinā una litera uariata, pro cardina dictam existimo, quoniam sit e genere carduorū, siue herbarū aculeatarum. Ideo autem chamaeleon herba à Græcis nūcupata, hoc nomē apud ipsos obtinuit, quia mutat cum terra in qua gignit colores, more chamaeleontis animalis, quod & ipsum stabilem nō habet colorē, sed quencunq; proxime attingit, admittit, præter rubrū & candidū. Quāuis autem in chamaelea frutice, & chamaeonte herba aculeata, sit non modò nominū, sed etiam naturæ ratio diuersa, Auicenna tamen atq; Serapio, & omnes ferē Arabes, ambarū proprietates in uno capite confuderunt. Quem quidem errorē licet apud Serapionem manifeste deprehendere, capite de mezereon, id est chamaelea, in quo scilicet capite mezereon describit eodē modo, quo Dioscorides chamaeleam, & easdē mezereon medicinæ tribuit proprietates, quas Dioscorides, quē etiam Serapio allegat capite chamaeleæ. Sed paulò post eodem cap. etiam Paulū Serapio adducit de mezereone albo & nigro loquentem, Nigrū tamen & album nō sunt mezereonis, id est chamaeleæ fruticis differentia, sed chamaeleontis herba aculeata, cuius duo genera, alterū albi, alterū nigri, discrimine nō modò à Dioscoride, sed etiam à Plinio distinguūt, imò ab ipso etiam Serapione, qui postea alio in loco, & capite diuerso de chamaeonte albo & nigro, eadem ferē scribit, quæ de ambobus Dioscorides: neq; meminit se de eisdem herbis capite de mezereon, fecisse mentionē. Auicēna pariter id quod ipse alij solet obijcere, caput in capite posuit: nam secūdo Canonis, & chamaeleæ, & chamaeleontis albi & nigri proprietates capite uno de mezereon inscripto cōplectitur, cuius plures facit species, quū tamē chamaelea, quā Arabes proprie mezereon uocāt, sit simplex species secundū Dioscoridem, Galenū, Paulum ac Pliniū, qui omnes chamaeleontem album & nigrū sui generis herbas fecerunt, à chamaelea, id est mezereon frutice,

Lib. 3. cap. 10

Carlina herba



**A** frutice differentes. Hunc eundē errorē repetens Auicenna etiā secūdo Canone in litera K, Chamæleon, inquit, est species de mezereon nigra, mortifera. Eodē tamen libro secūdo Auicenna de chamæleonte tam albo q̄ nigro seorsim loquitur, & illas narrat proprietates utriusq̄, quas etiā capite de mezereon, id est chamælea, diuersis eius speciebus assignat. Ait præterea eodē cap. de mezereon, quod omnes species administrant ad mōrphēam, & albaras, & lentigines, linitæ exterius, & quādoq̄ admiscetur sulfur: qui tamen medicinæ usus unī tantū chamæleonti nigro cōpetit, ut nō modō Dioscor. sed etiā ipse Auicenna in litera C, cap. de chamæleonte testificatur. Subiūgit etiā Auicenna, quod omnes species eiusdem mezereon administrant ad impetiginem, & hulcera sordida cum melle, & eradicant cortices. Hoc quoq̄ dictum falsum est, sicuti prius, quia ista proprietas purgandi hulcera sordida, & quæ escharam habent, cū melle, nō est chamæleontis albi uel nigri, quos eodē cap. Auicenna falsō innuit esse species mezereon, sed chamæleæ tantū, ut habetur ex Dioscoridis & Galeni pariter autoritatibus. Hunc errorē continuans Auicenna etiam iij. Can. accidentia atq̄ remedia, quæ chamæleontis nigri radici uenenata à Paulo assignant, ipse ad mezereon, id est chamæleæ subscribit. Et hoc est quod præcipue probare intendebamus, eodē modo errasse Auicennā, ixon, id est uiscū, pro ixiā ueneno iij. Can. inter uenena numerando, sicuti eodē in lib. pro chamæleonte nigro mezereon, id est chamæleā, itidem nominū propinquitate deceptus accepit. Sed & sicuti Auicenna de mezereon in pluribus locis scribens, sibi ipsi non cōstat, quia alī quando facit chamæleontē albū & nigrū esse species mezereon, & de ipsis unā cum chamælea eodē cap. agit. Aliquādo seorsim de chamæleonte albo et nigro tractat.

*Auicenna multis erroribus in ixiā implicatur, quos ex parte Montagnana sequitur.*

VII

**B** Eodem modo ixiā uenenū quarto Canone ad diuersa capita refert: alterū de uisco, de quo supra differuimus, alterū de thephisia, quam gummi rutæ montanæ interpretat: hic quoq̄ multis sese erroribus implicans. Primus error est falsæ expositionis, qui etiam secūdo Canone inuenit, capite de thephisia, ubi thephisiā pariter gummi rutæ syluestris exponit. Quē etiam errorē ex parte secutus est in quodā cōsilio Montagnana, in quo hominī leproso cōsultat, & iubet applicari remedium ex serpente nigro factū, cum quo thephisia humida, id est recens coniungit. Thephisiā aut Montagnana exponens, ait quod est ruta syluestris, quæ si desit, uice eius satiuā siue domesticā rutam apponi præcipit. Verū si Montagnana cap. de thephisia secundo Canone cū capite de tapsia apud Dioscor. contulisset, proculdubio intellexisset hoc nomē thephisiā esse apud Auicē. deprauatū, & pro tapsia scribi debere thephisiā. Vnde ex errore scripturæ etiā falsa expositio habuit originē. Ex eodē Dioscoride discere Montagnana potuisset, tapsiā alio nomine, nō rutam syluestrē, sed ferulā potius syluestrē nominari. Secūds error est apud Auicennā, quia quos effectus Dioscorides Paulusq̄ ixiā ueneno tribuunt, eosdem ipse thephisiā, id est gummi rutæ agrestis attribuit, non animaduertens quod de eodem ixiā cap. de aldibe, id est uisco eodē in libro scilicet quarto Can. paulo post erat tractaturus. Siquidē capite de thephisia scribit hæc uerba: Hæc est gumma rutæ montanæ. Et quādoq̄ sentitur in sapore eius, sicuti sapor albedagori, & est calida, & accidit illi qui bibit eam reuentio eorū omniū, quæ currunt ex utrisq̄ uis, & apostematur lingua, & accidunt rugitus & inflatio. Quæ omnia signa etiā scribit Dioscorides in ijs qui ixiā uenenū biberint. Tertius error est, & quidem multo prioribus grauior, quoniā Auicenna ipse sibi ipsi in thephisia contradicit: nam secūdo Canone, capite de thephisia scribit, quod in radice eius, & corticibus ipsius, & lachryma eius est solutio. Quarto autē Canone de eadem thephisia, id est gummi rutæ montanæ, inter uenena tractans, ai-



**C** quod accidit ei qui bibit ipsum retentio eorum omnium quæ currunt ex utrisque uis: Quare quum solutio atque retentio superfluitatum sint effectus contrarii, liquet illa quæ in uerbis Auicennæ notauimus contradictio. Hæc autem à nobis de thephisia obiter dicta sunt, partim ut ostenderemus quot nostri temporis medicina erroribus inuoluatur, medicis iunioribus Auicennam in illa principem statuentibus, & multa quæ idem Auicenna scripsit, sine ullo rationis examine pro uero admittentibus: quemadmodum de Montagnana medico suo tempore illustri, paulo ante significauimus: partim ut tibi unam manifestarem id quod etiam ab initio insinuauimus, difficilimum esse quid sit ixias apud Auicennam & medicos iuniores illi sequentes indicare: quandoquidem Auicenna in hoc ueneno uidetur ambiguus, modo uiscum, modo thephisiam, id est gummi rutæ montanæ ipsum appellans. Vnde & quidam recentiores de uenenis tractantes, duo capita faciunt ad Auicennæ imitationem, alterum de aucupum uisco, quod uenenum non est, uel ut sit, non tamen ixias, de quo uidetur Auicenna capite de uisco agere, uoluisse: quandoquidem non modo eadem signa (licet non omnia in uisci notat potione) quæ Dioscorides in haustu ixias ueneni, sed etiam eadem ferè remedia contra ipsum scribit: alterum de gummi rutæ syluestris, siue montanæ, quod gummi nunc terrarum inuenitur. Est enim error (ut diximus) Auicennæ, quem illi iidem, quos statim antea tetigimus medici recentiores in suis de uenenis tractatibus animaduertentes, fatentur gummi rutæ agrestis esse gummi tapsiæ. Verum isti præter uiolentam expositionem, quia tapsiam rutam agrestem nominari apud nullum autorem quod sciam, nisi apud Auicennam legitur, in alterum multo maiorem incidunt errorem, in illam uidelicet contradictionem, quam nuper Auicennæ obiectionem. Gummi enim tapsiæ, ut inquit Dioscorides, purgat potenter superius & inferius, adeo ut iuxta eundem Dioscoridem dosis, quæ drachmā unam excedit, sit periculosa: Gummi autem rutæ agrestis, de quo quarto Canone inter uenena Auicenna agit, intus assumptum, uim habet retinendi omnia quæ currunt ex utrisque uis, ut ipsdem uerbis Auicenna testatur.

Lib. 4. ca. 147

*Medicorum diuersæ opiniones de turbit: Gentilis opinio de soldana refellitur, ex quo nomine hæc apud ueteres nuncupetur: Item error Arabum in caule marino: Lathiris quo nomine dicta sit.* VIII

**D**E turbit autem, de quo in chirographo quæris, difficile est etiam quo nomine apud Dioscoridem censeatur, determinare. Turbit enim est nomen barbarum: barbari autem autores de ipso uarie loquuntur. Aliud siquidem de ipso scribit Serapio, aliud Mesues. Quare si à me petas quid sit apud Dioscor. turbit à Serapione descriptum, possum tibi sine aliqua hæsitatione respondere, esse tripoliū, licet hoc nomen apud Serapionem allegantem in eo Dioscor. sit deprauatum: Nam quæ de tripolio Dioscorides ac Plinius scripserunt, quod in maritimis nascitur locis ubi allidit unda, neque in mari, neque in sicco, folio isatidis crassiore, palmeo, caule in mucrone diuiso, radice alba, odorata, calida gustu, & reliqua. Hæc eadem Serapio de turbit scribit, quod caricamū uisiose, ut diximus, pro tripolio nominat. De quo uel codicis, uel autoris errore minus sit admirandum, quando & apud Plinium non tripoliū, sed trifoliū potius corrupte legitur, adeo ut Simon dubitauerit, an sit idem caput de trifolio apud Plinium, & de tripolio apud Dioscoridem, & de turbit apud Serapionem. Pandectarius autem duo capita scripsit, alterum de tripolio secundum Dioscoridē, alterum de turbit secundum Serapionem: quasi turbit apud Serapionem sit aliud à tripolio apud Dioscoridem, qui forte error Pandectarii, unam cum Simonis dubitatione, inde etiam habuere occasionem, quoniam in latino Dioscoride, cuius uerba citat Pandectarius, scribitur tripoliū habere folia similia apio: quum tamen uerus Dioscorides tradat esse similia isatidi herba, hoc est, illi quam uulgò gadum appellamus, quæ in usu tinctorum celeberrima est,

Lib. 3. cap. 117



**A** est. Apud Serapionem autem hæc similitudo neq; ad apium, neq; ad isatidem referatur, sed ad quandā plantam, quæ arafatis nominatur, quod uerbum puto apud Arabes esse corruptū, & pro isatide arafatin scribi, sicuti etiam apud Pliniū nō folio isatidis, sed folio satis crassiore palmo, itidem uitiose scriptū inuenitur: quī quidem locus fuit à me pridem in libro de Plinij atq; aliorū medicorum erroribus castigatus. Si autem à me quæris, quid sit turbit, quod describitur à Mesue apud Dioscoridē, dicere oportebit, turbit illud Mesue nō esse tripoliū apud Dioscor. sed radicē alicuius herbaræ habentis succum lacteum, acutum, ex genere tithymalorū seu lacticiniorū, ut iuniores medici loquuntur. Tale enim est turbit quod describit à Mesue, nō habens folium simile isatidi, sed ferulæ potius: hæc enim sunt eius uerba, ut nosti: Turbit est radix herbaræ, cuius folia sunt sicuti folia ferulæ, minora tamen, & est ex habentibus lac. Quocirca Actuarius, grauis apud Græcos autoritatis medicus, multum tamen Galeno ac Paulo posterior, quī multas Arabum medicinas illorum nominibus memorat, inquit turbit à barbaris uocitatū esse radicē plantæ, quæ à Græcis pityusa uocatur. In qua etiam opinione quidam alij Græci præter Actuariū fuisse uident, quī capite de pityusa apud Dioscoridē, ubi de radice sit mentio, uerba illa interseruerūt, quæ nō puto esse Dioscoridis, sed glossēma potius *ἢ καλῶσι τέρπει*, id est, quam radicem scilicet pityusæ, uocant turbit. Sed cōtra hoc est, quod hæc eadem radix à Serapione non turbit, sed sebram, id est esula nūcupatur: quod palām fiet cōferenti ea, quæ Serapio de sebrā ex Dioscoridis atq; Galeni pariter scripsit autoritate, cum ijs quæ iisdem Græci autores de pityusa prodiderūt. Quamuis Auicenna capite de sebram, aliud potius uideatur describere, quā radicē pityusæ: imō si uerba Galeni libro octauo de simplici medicina in pityusa attendimus, & alia cōparia secundo Canonē, capite de mezetegi ab Auicenn. scripta, liquidō apparet, quod mezetegi apud Auicennam sit pityusa apud Dioscoridem: ita quod necessariū sit alterū duorū, uel sebram nō esse esulam apud Auicennā (intelligendo per esulam radicem illius herbaræ quā Græci pityusam uocāt) uel Auicennā in duobus capitibus secūdi Canonis de eadē radice fuisse locutū, scilicet capite de sebram, & capite de mezetegi. Eadem eiusdem medicinæ repetitio superflua est apud Serapionē: nam capite de tithymalo ultimo loco nominat speciem tithymali, quæ dicitur ptia: uult autem dicere pityusa: eadē enim de ea scribit, quæ de pityusa Dioscorides. Paulō infra aliud caput scribit de sebram, & in eodem allegat Dioscoridem: quasi sebram alia sit à pityusa medicina. Sed neq; illorū opinio est omittenda, qui putāt turbit esse radicē herbaræ, quam uulgō soldanam nominamus, passim in locis maritimis prouenientē. Hanc tamen opinionē esse falsam, nos ita probamus: Soldana herba, uel eius radix nō est turbit à Serapione descriptū, quia illud turbit est tripoliū apud Dioscoridem, & habet folia similia isatidi, ut nuper ostendimus: Soldana autem herba nō est tripolium apud Dioscoridem, sed ad aliud caput refertur, ut mox ostendemus. Item soldana herba habet folia quadantenus hederæ similia, uel aristolochiæ rotundæ: turbit autem à Serapione descriptū, sicuti etiam tripoliū apud Dioscoridem, habet folia similia isatidi. Eadem ratione probatur soldanam herbam non esse turbit descriptum à Mesue, quoniam istud turbit habet folia similia ferulæ, ut etiam antea dictum est, soldanæ autem folia sunt omnino à ferulæ folijs differentia. Simili argumento in libro de morbo gallico contra Gentilem probauimus, soldanam herbam nō esse cachilem apud Serapionem: quoniam cachile secūdem eundem Serapionem habet folia nasturtij, quæ nullam præ se ferunt foliorum soldanæ similitudinē. Hic autem uberius doctrinæ gratia superadiungimus autores Arabes, soldanam herbam neque ad caput de cachile, neque ad caput de turbit retulisse, sed Græcorum imitatione ad caput

Lib. 4. ca. 136



**C** de caulibus. Est enim soldana herba uulgò à nobis dicta, illa quam Dioscorides atq; Galenus brassicā marinā appellant: quod liquidò apparebit, si quis inuicem cōtulerit ea quæ in herba soldana oculis intuemur, & quæ de brassica marina Dioscorides scribit. In hac tamē herba mihi uidentur autores Arabes eatenus aberrasse, quatenus de caule domestico atq; syluestri, ac subinde marino eodē capite cōtinuatim tractauerūt, tanq̃ hæ omnes forent eiusdem generis proximioris species, quod de syluestri quidē atq; domestico caule cōcedi posset: quoniam tantū satiuū atq; syluestris differētijs distant. De marino autē caule nequaquā, qui omnino ab alijs duobus diuersificatur, ut nō modò Dioscor. sed etiam Galenus testificant, quorum autorū sententia brassica marina, & brassica satiuā, uel etiam syluestris æqui uoce dicuntur. Putasse autē Arabes caulem satiuū atq; syluestrem, ac præterea marinū quandā habere inter se non modò figuræ, sed etiam naturæ affinitatem, eo constat argumento, quod omnes eodē (ut diximus) capite cōplectuntur, & præter hoc etiā uerba Serapionis idem ostendūt, qui de caulibus marinis ita scribit: Marini caules sunt longinquiores à similitudine domesticorū, q̃ scilicet sint caules agrestes. De illis enim statim antea locutus erat. Auicēna insuper tres hæc species etiā effectū cōmunitate cōsociat, ut quū secundo Can. capite de caulibus scribit in hunc modū: Syluestris, marinus ac domesticus maturat phlegmones & duritias. Qui quidē effectus à Dioscoride caulī satiuo atq; syluestri ex parte assignat: marino autē caulī à nomine adscribit, & nulla experientia cōprobatur. Verior autē est Græcorū opinio à nobis tacta, quod caulīs agrestis atq; satiuus tantūmodo sint figura, colore, & naturæ proprietatibus similes, nisi quod agrestis est albior & calidior & siccior, sicuti omnes aliæ plantæ syluestres sunt in eodē genere satiuīs secundū has duas qualitates (ut inquit Galen.) fortiores: marina autē brassica penitus ab illis ambabus euariat. Hæc ideo in Arabicis autoribus notāda censuimus, ne quis putaret nos soldanā herbā, ut illi fecerūt, forte quid esset apud Dioscor. atq; Galenū brassica marina nescientes, inter brassicarū species cōnumerare. Sed quoniā multa interseruimus, ut te pleniori officio demereremur, iam ad illud redeamus de quo præcipue ab initio quærebatur, quid sit turbit apud Dioscoridē. Forte autē in tanta tum Arabū autorū, tum etiā Latinorū super hac medicina opinionū diuersitate, melius quæreretur, quid sit apud Dioscoridē radix illa, quam pro turbit officinæ uendūt. Ego quidē diu multumq; laboraui, ut herbam uirentem uiderem, cuius radix turbit nuncupatur. Nam qui radicem tantū aridam ad nos afferunt, neq; ubi nascatur, neq; quali folio aut flore turbit insigniat, sciunt dicere, nisi quod unus tantū pharmacopola id mihi de flore turbit est testificatus, quod de folio tripolijs scribit Dioscorides, quod uidelicet mane candidus, meridie purpureus, uespere phoeniceus appareat. Quod si mihi fuit uere relatū, proculdubio turbit quo nos utimur, est tripoliū apud Dioscor. Sed quoniā hoc de flore miraculum uix forte ipsi Dioscoridi credatur, nedum alicui pharmacopolæ, omnino satagendum, ut folium ipsum uiride inspiciamus, & an sit folio isatidis, aut ferulæ simile, uel etiam neutro, diligentius consideremus: Fieri enim potest, ut radix illa qua utimur, neq; sit turbit Mesue, neq; etiam turbit Serapionis, tantam uideo in ijs rebus incuriam, quæ sunt in usu frequentissimo medicorū. Si quis enim dixerit esse turbit Serapioni, illud obijcere possumus, quod turbit apud Serapionem est idem quod tripoliū apud Dioscoridē: Radix autem tripolijs secundū eundem Dioscor. odorata est. Qua uero nos utimur pro radice turbit, omnino caret odore. Si uero alter asserat hanc esse turbit descriptum à Mesue, quum sit illud turbit secundum eundem Mesuen ex genere habentiū lac, seu lacticiniorum, hoc est earum plantarum, quæ habent lac maxime acutum, interrogabimus ipsum, quidnam tandem erit ex his quæ



A quæ à Dioscoride uel Serapione describunt, an aliqua species tithymalorū? Sunt autem septem uel octo, sed nulla earū esse potest turbit à Mesue descriptū: nulla siquidem ex illis habet folia similia ferulæ, qualia habet turbit à Mesue designatū, ut cōstat ex Dioscoride & Serapione, singulas tithymalorū species per folia ac flores & reliquas proprietates describentibus. Sed neq; lathiris est, quā iuniores medici cataputiam minorē uocant, Auicenna autem mendanam, ut constat ex ijs quæ de lathiri Dioscorides, & de mendana Auicenna similia scripserunt: neq; peplios, de qua Dioscorides agit inter alias, quæ lac acutū emittunt: huius enim radix inutilis est, ut inquit Dioscor. & de hac quoq; Auicenna agit secūdo Canone sub nomine bebilis, capite diuerso à capite de turbit. Eadē ratione neq; peplion, id est portulaca syluestris: nam hanc quoq; Auicēna secūdo Canone bilomon nominat. Translatio autem librorū Hippocratis de regimine acutorū, feliciniū uocauit, & non radice, sed folio uel fructu ad usum medicinae adhibet. Habet etiā folia similia portulacæ, unde illi nomen, nō autē ferulæ, sicuti turbit descriptū à Mesue. Deniq; per singulas species earū plantarū, quæ succo lacteo & acuto manant discurrendo, nō uidetur cuiq; earū descriptio turbit, quæ apud Mesuen reperitur, cōuenire. Forte autē neq; uere scribit à Mesue, turbit esse ē genere earū, quæ lac habent. Siquidem hic idem autor inquit mezereon esse plantā lacticiniorū maiorē, quæ tamen planta ab Arabibus mezereon nominat, eadē à Græcis chamælea uocatur, ut constat cōferenti caput de chamælea apud Dioscoridē cum cap. de mezereon apud Serapionem, & etiā apud Auicēna, nisi quod Auicenna etiā ipse, licet sub nomine mezereon, chamæleam describat, quā cōstat nō esse de numero lactariarū, siue lacticiniorū, inquit mezereon esse lacticinii magnū, ut uideant Arabes, Auicēna præsertim ac Mesues capite de mezereon, in duplicē errorem incidisse: & quod mezereon, quæ à Græcis chamælea uocat, inter lacticinia posuerūt, & quod chamæleontem albū & nigrū cum chamælea siue mezereon confuderūt. Nam Mesuen quoq; nō fuisse secūdi huius erroris expertem probari potest ex his, quas ipse mezereon in fine capitis tribuit proprietates, quas nō chamæleæ, quā Arabes mezereon uocant, sed chamæleonti potius albo uel nigro Dioscorides assignauit. Quæ enim de mezereon Mesues scribit, quod interficit lumbricos, & quod collutio ex aceto eius cōfert dolori dentium, & quod sit unguentū ex eo ad scabiem bonū, & linimentū ex eo et sulfure, delet morpheam, albaras & lentigines, sunt ferē proprietates, quæ chamæleonti albo & nigro, nō autē chamæleæ, id est mezereon à Dioscoride tribuuntur: Serapio uero etsi capite de mezereon similem fecerit confusio nem chamæleontis & chamæleæ, ut quū de ixiā uerba faceremus, ostendimus, in eo tamen magis est q̃ Mesues Auicenna probādu, quod mezereon haudquaq; fecit ex genere lacticiniorū: & qui uerū mezereon, hoc est chamæleam agnoscūt, sciunt eam nō habere lac. Dixi autē uerū mezereon, quod à Græcis chamælea dicitur, quia apud nōnullos Arabes Ioan. scilicet Serapionē, ueluti Simon annotauit, mezereon est mirdane, uel mendane: quæ autē mēdane ab Auicēna uocat, est lathiris apud Græcos, & cataputia minor apud medicos iuniores, quā certū est nō esse mezereon, neq; ab Auicēna, neq; à Serap. neq; etiā à Mesue designatū, ut satis constare ex uarijs descriptionibus arbitramur. Et quia aliud caput de mendane, aliud de mezereon Serapion atq; Auicenna scripserūt: non solent autē autores Arabes duo capita, sed unum tantū de eadem simplici medicina scribere, nisi forte nominū uarietate decepti, quæ una sit geminam eam crediderint. Nam quod de Auicēna supra dubitauimus, ne forte de esula duobus capitibus egerit, & capite de esulam, & altero de mezetegi, hunc liquidō errorem in Serapione deprehēdimus.



**C** qui capite de tithymalo ultimo loco nominat speciem tithymali, qui dicitur ptias: uult autem dicere pityusa, cuius radicem quidam esse turbit (ut supra ostendimus) existimauerunt. Et paulo infra aliud caput scribit de sebram, in quo easdem tribuit sebram proprietates, quas pityusae Dioscorides, neque meminit se de eadem planta etiam inter species tithymalorum fuisse locutum. Supra autem diximus, ut ad id propter quod haec omnia subiunximus reuertamur, turbit apud Serapionem, esse tripoliū apud Dioscoridem: qui quidem Serapio, neque ipse mezereon, sicuti neque tripoliū Dioscorides lacticiinis annumerauit. Simon autem Genuensis in littera L, ubi de lacticiinis facit mentionem, etiam tripoliū inter ista collocauit: Quia enim Mesues ponit turbit inter lacticina, turbit autem apud Serapionem est planta, quam Dioscorides uocat tripoliū, nesciens Simon hoc nomen turbit apud duos autores æque uoce dici: apud alterum de planta habente lac, & folio ferulae simili, apud alterum de planta carente lacte, & foliū isatidi, id est guado simile gerenti, propter uerba Mesuae de turbit, tripoliū quoque inter lacticina cōnumerauit. Vide quot difficultates, & quidē inexplicabiles occurrunt medicis iunioribus Arabum autorū doctrinam sequentibus, ob eorundem autorū non modò à Græcis, sed etiam à seipsis discordantiam. Quare nulla alia inter tot, quae de simplicibus medicinis habentur ambiguitates relinquitur uia, nisi ut ad sensum iudicem confugiamus, & si plantam uerentem habere possumus, cuius radix pro uero turbit affertur, nunquid sit ex genere lacticiniorum, uel alia discutiamus.

*Medicorum de boragine & buglossa herbis dissensiones: apud Auicennam enim buglossa est quam nos uulgò boraginem nominamus.*

IX

**D**E buglossa autem, de qua quaeris, an ea qua pro buglossa utimur sit uera buglossa, si tibi quod sentio respondero, uereor ne sicuti tu admodum docte dubitasti, ita ego nimium proterue uidear uniuersam nostri temporis medicinam euertere. Nam si probare cōtendero, buglossam quam medici iuniores ad usum medicinae adhibent, non esse ueram buglossam, cur etiam inquiet aliquis, lactucā qua uescimur, ueram esse lactucā non inficiaris? Non ita tamen sumus animati: absit enim à nobis tanta temeritas, ut omnia iuniorum medicorum placita uelimus demoliri. Sed sicuti multa eorum probanda censemus, ita plura sunt in quibus autores ueteres magis sequendos iudicamus, atque in illis praesertim, in quibus idem medici iuniores inuicem uidentur dissentire. De boragine Simon Genuensis in littera B ita scribit: Borago herba nota, cibo apta, & medicinae, & flos & folia & semen buglossa dicitur: species eius syluestris. Non reperio aliquem autorem autenticum, facientem capitulum de utraque: si scribit de una, non scribit de alia. Haec ille. Pandectarius autem aliter sentit: nam duo capita scribit, alterum de boragine, in quo allegat Dioscoridem: alterum de buglossa, in quo citat Serapionem ex eiusdem Dioscoridis autoritate de buglossa loquentem. Montagnana uero in quodam consilio scribit haec uerba: Borago autem non placet, quia planta multum uentosabilis & uentosatiua, quod ostenditur propter multitudinem eructuationum quas efficit. Et licet ponat temperata, quia est species buglossae, quae temperata est, de ea parum ab autoribus scribit, & plura de ea creduntur, quae ratione & autoritate uerificari possint: Auicenna tamen de ea nihil dixit. Vide quanta sit istorum autorum discordia: Alter dicit nullum autorem de utraque, scilicet de boragine & de buglossa loqui: Alter super ambabus herbis citat Dioscoridē: Alter facit buglossam speciem boraginis syluestris: Alter boraginem buglossae, tanquam generi subiicit. Auicenna quoque secundo canone, cap. de lingua bouis, notat sui temporis medicos, qui non uera buglossa uterentur, sed alia quae non habet easdem utilitates.

Quare



A Quare in tanta medicorum tum Latinorū, tum etiā Arabum de herba buglossa controuersia, quid mihi uideatur aperiā. Primum illud pro cōfesso habetur, buglossam græco interpretamento linguæ bouis assimilari. Duæ autem sunt herbæ linguæ bubulæ, atq; ideo etiā inuicem similes: altera à nobis lingua bouis, altera borago nominatæ: Sed duæ quoq; herbæ itidem linguæ bubulæ similes celebrantur græcis nominibus apud Græcos: altera buglossum, altera crission ab eisdem Græcis nuncupatæ, adeo ut minime dubitem duas illas herbas, quarū alteram linguam bubulam, alterā boraginē sermone nostro uocitamus, ad duo capita apud Dioscoridem debere referri: quorū alterū est de buglossō, alterum de crissio: Nam & hoc propter magnā quam habet cum buglossō similitudinē, buglossum magnum pariter à Græcis appellatur. Verum diligentius cōsiderantibus, descriptio buglossi apud Dioscoridē plus boragini conuenit: descriptio autem crissij siue buglossi magni, plus alteri quadrat, quam nos uulgō buglossam seu linguam bubulam nominamus: siquidē idem Dioscorides inquit folia crissij esse longiora folijs buglossi. Quanquam apud Pliniū, qui crission libro uigesimoseptimo, capite octauo ferē eodem modo quo Dioscorides describit eandem crission habere folia non longiora buglossō, seu (ut ipse interpretatur) lingua bouis, sed potius minora scribatur. Quem puto errorem ex uocabulī græci similitudinē, & codicis mendo quem Plinius habuit, contigisse: quoniam pro *μακρότερα*, quod uerbum significat longiora, *μικρότερα*, id est minora, scriptum inuenit. Ego uero in multis codicibus græcis nō solum impressis, sed etiā manu scriptis apud Dioscoridē *μακρότερα*, id est longiora, non autem *μικρότερα*, id est minora reperi. Liquidō autem sensui subiicitur, folia herbæ illius quæ uulgō buglossa dicitur, esse folijs boraginis longiora. Item idem Dioscorides inquit, in summo caule crissij esse capitula purpurea, quæ soluūtur in lanugines, quod etiā in herba buglossa à nobis appellata uisū deprehenditur. Contra in boragine capitula cerulea, non autem purpurea conspiciuntur. In autore autem de simplici medicina leguntur hæc uerba: Buglossam Romani linguam bubulam, Lucani corago: nascit̃ locis cultis & sabulosis. Forte autem pro borago uerbo, corago uitiose scribitur, aut nomen coraginis una litera uariata est in boraginē uersum. Quod autem inquit, nasci locis cultis & sabulosis, hoc idem de suo buglossō Dioscorides tradit. Pandectarius quoq; siqua est huius hominis autoritas, in litera L, lisinaltaur, quod nomen apud Arabes significat linguam bouis, ipse boraginē interpretat̃. Quare forte melius fuerit, quū buglossam, de qua Dioscorides, Galenus, & autores Arabes utrūq; allegantes, ad usum medicinæ adhibemus, boraginē potius q̃ illam, quæ passim buglossa nuncupatur, recipere. Atq; ita falsum erit id, quod Montagnana existimauit, Auicennā nihil de boragine dixisse: nam nisi mea me fallit opinio, caput de buglossa seu lingua bouis apud Auicēnam est caput de boragine, sicuti etiā apud Serapionem: Falsum etiā erit id quod Simon scribit, qui putauit neminem autorem de utraq; herba simul scripsisse. Siquidem Dioscorides apud Græcos, & Plinius apud nos, tam de buglossa, quā etiā de crissio fecere mentionem. Negari autē nō potest, quin borago sit alterū duorū apud Dioscoridē, aut crission, aut buglossum, ab hijs præsertim qui boraginē buglossæ, uel buglossam boraginis speciem consitentur: quādo & Dioscorides ipse crission habere folia similia buglossō, & buglossum magnum uocari testificatur. Si tamen borago sit crissiu apud Græcos, uerū erit quod à Montagnana scribit̃, tam multa de boragine à iunioribus medicis temere prædicari: Nam Dioscorides hoc tantū de crissio retulit: quod si radix eius alligat̃ super locum dolentem, sedat dolorē, Plinius autem, quod herba aut radix alligata sanat



**C** dolores uaricum. Quare medici iuniores, utrum uelint acceptent, aut quod borago sit uera buglossa, ut nos opinamur, aut quod eius herbae usus non sit ad illa utilis, ad quae ipsi arbitrantur.

*Cicerbita quo nomine apud ueteres censeatur, & eius utilitates.*

X

Lib. 4. cap. 22

**C**icerbita autem, de qua etiam scire cupis, estur & ipsa, sicuti borago, etiam in hoc uersu Callimachi carmine incluta. Est enim illa, quam Theseo apponit rustica illa Echate, ut Plinius meminit: uerum in operibus medicinae minus hodie celebrata: quia forte medici iuniores non nouerunt quo nomine apud ueteres autores, qui de medicina scripserunt, nuncupetur, atque ideo nesciunt eius utilitates, quod nos nunc indicabimus. Dioscorides ipsam sonchum nominat, & a Romanis cicerbitam asperam uocari testificatur: quauis hoc nomen, ut plerumque alia Romana uocabula apud Dioscoridem sit deprauatum: quia non cicerbita aspera, sed circita aspra in graeco codice uitiose legitur. Idcirco autem a Romanis aspera fuit cognominata, quia spinosa est quum inueterascit. Graeci sane adhuc herbam, quam nos latine cicerbitam nominamus, uulgo sonchum appellant, ut mirandum sit Simonem Genuesem, qui multa herbarum uocabula a graeca herbaria didicit, quid tamen esset sonchus apud Graecos ignorauerit: nam de ipsa meminit in litera S, & adducit uerba Dioscoridis de soncho: quae tamen herba sit, aut quo nomine censeatur apud nos, dicere praetermisit. Neque minus admiratione dignum, Plinium huic herbae, tam in usu cibario frequenti, latinum nomen non reddidisse: nam & ipse libro uigesimo secundo, capite eiusdem numeri, quam nos uulgo cicerbitam nominamus, graeco uocabulo sonchum appellauit: atque ita ipsam descripsit, ut dubitari non possit, sonchum apud Graecos esse herbam, quam Latini cicerbitam uocant. Sed praeterea idem Plinius una cum Dioscoride tot huius herbae usus enumerat, ut me aliquando pudeat nostri temporis medicorum, qui tantum illa remedia probant, quae magno impendio parantur, quibus meliora aliquando pauperrimus quisque coenat, ferè tamen, de quo nos etiam magis pudere oporteat, non Indicas atque Arabicas, siue externi orbis quaerunt medicinas, sed quas natura illa omnium rerum parens uulgo etiam exposuit. Mustela pugnatura contra serpentes, pastu se cicerbitae munus, atque inter pugnandum eodem crebro repetito se refouet: Compertum est hoc apud multos, qui dimicationem consertam uidere. Nos theriacam contra uenena ab Aegyptijs magno emimus precio, cuius potissimam partem, quam basim uocamus, illi adhuc ignorant, praeter multa alia simplicia medicamenta, ad eandem compositionem necessaria, quae nostra hac aetate neque a Graecis, neque a Latinis, nedum a barbaris cognoscuntur: quorum etiam uel unius defectus, si Galeno medicorum principi credimus, potest totam compositionem corrumpere. Naturae uero opera sunt absolutiora, inuentu faciliora, nisi ob hoc ipsum uilescent. Sonchum autem, siue cicerbitam, cuius occasione haec interposuimus, magnam habere contra uenena, sed praecipue scorpionum efficaciam testantur tum Dioscorides apud Graecos, tum etiam Plinius apud nos, & ex recentioribus Conciliator, qui lactucellam, per quam (ut puto) cicerbitam intelligit, quae, ut etiam inquit Plinius, lactucae similis est, nisi spinosa foret, septem alijs herbis annumerat, quae theriacae aequallem habent contra uenena potestatem. Atque insuper Auicenna apud Arabes, si modo cicerbita sit herba, quam ille secundo Canone taraxacon nominat, ut scio plerumque aetate nostra medicos celeberrimos, ac praesertim Gerardum Veronensem existimasse. Nolo enim ego nunc de isto decernere, qui dudum opus ad hoc ipsum destinauit, ad declarandum scilicet nomina Arabica, quae secundo Canone apud Auicennam



**A** cennā scripta inueniuntur. Quod idem opus forte maturius absoluemus, quādo te hoc quoq; nō minus cupere, quā illa quae nuper à nobis explanata sunt, intelleximus. Si tamen tuam in hac re aueritatem plusculum fuerimus remorati, æquo animo patieris, futurum illud maxime sperans, quod tibi in hac epistola contigit, si modo epistolae nomen meretur, quū ferē ad uoluminis magnitudinē excreuit, quae quanto tardius, tanto maiori cum scōnore est tibi reddita.

*De cicerchia.*

**R**eliquum est, quo tuis quāsitis omni ex parte satisfiat, ut etiā de cicerchia respondēam. Hoc leguminis genus uulgō cicerchiam nominatum, à Plinio libro decimo octauo capite duodecimo, cicercula nuncupatum, à Theophrasto autē libro nono de plantis, & à Galeno eundem Theophrastum allegante libro secundo de alimentis lathiron: Hoc enim uerbum Theodorus graece latineq; doctissimus, in translatione Theophrasti cicerculam interpretatur.

LIBRI QVARTI FINIS.

FRANCISCVS TOTTVS LVCENSIS,

Nicolao Leoniceno S. P. D.

**E**CREVERAM iam à primis studiorū meorum annis, quum medendi scientiae dare operam statuissem, eum mihi praeceptorem deligere, qui & ingenio, ac doctrina ceteros antecelleret. Quare quum uirtutis ea ratio sit, ut latere nō possit in tenebris, hominesq; uel maxime in summa conditionis in lucem proferat & extollat, factum est, ut te mihi potissimum praeceptorem optarem, qui eruditissimi cuiusq; iudicio unus esses, qui hac tempestate in toto terrarum orbe praecipuum medicinae decus, & parens optimus iure optimo habearis. Quamobrē eo animo Ferrariam, uel te uno professore per ea tempora illustrem accessi, ut te unicum haberem, cui me totum traderem, cuiusq; disciplina sperarem me omnia quae uellem assecuturum. Nec illa quam de te conceperam spes ulla ex parte me frustrata est: nam quae de te absens constanti acceperam fama, ea longe maiora res ipsa confirmauit. Dum enim liberalibus studiis, & arti medicae sub te incumbō, nihil consuetudine tua suauius, nihil ingenio praestantius, nihil doctrina tua uberius animaduerti, quam quidem morum integritas insitāq; humanitas mirū in modum exornat. Accedit ad haec quod his temporibus nihil est in dicendo acutius te uno, nihil in respondendo certius, nihil deniq; in erudiendis uel philosophorū, uel medicorū ueterū sensibus sublimius, aut in consulendo aegrotis salubrius inueniri aut excogitari potest. Sed haec omīto multis in locis abs te declarata, quibus multorū nobilium, & aliorum praclarissimorum principum habes cōciliatam gratiam, praesertim ne quispiam fortasse putet me haec auribus tuis dare, qui semper ab omni adulatione abhorruerim: quāuis officij mei esse iudicē, ut pro meo in te summo studio & obseruantia maximarum tuarum uirtutum laudator sim. Illud nō reticebo, me abs te pro tua incredibili ac propē diuina quadam benignitate ac munificentia in tuorum numero ita repositum, meq; adeo tibi perpetuō deuinctum, ut obseruantia & amore in te paucis admodum sim concessurus. Quare non dubitauī studio in me tuo, ac beneuolentia fretus, nōnullas Plinianas ambiguitates ex te quærere: quippe quē huiusmodi lectionis studiosum supra omnes homines admirari soleam. Tu uero mira celeritate nō solum ad quāsitā benigne ac praclare respondisti, uerum etiam alios